



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XIII. Vergleich zwischen dem Rathe und dem Minoriten-Kloster in Frankfurt über die Grundstücke des Klosters, vom 22. Juli 1312.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

Cives in vrankenworde, Et alii quam plures fide digni. In cuius Rei Testimonium Nos Fredericus, Episcopus Lubucensis, Plebani et predicti Thome precibus inclinati, nostrum sigillum cum sigillo plebani ad Robur perpetue firmitatis duximus apponendum. Actum et datum vrankenworde, Anno domini Millefimo Tricentesimo Duodecimo, in die walpurgis.

Aus dem Originale im Breslauer Universitäts-Archive.

XIII. Vergleich zwischen dem Rathe und dem Minoriten-Kloster in Frankfurt über die Grundstücke des Klosters, vom 22. Juli 1312.

In nomine Domini amen. Propter hominum labilem memoriam gesta eorum poni solent in lingua testium et scripture memoria perhennari. Quapropter Nos Consules Ciuitatis vrankenworde vniuersis tam presentibus quam futuris, quorum audientie presentia deferentur, volumus fore notum, Quod discordia seu dissensio, que vertebatur inter Religiosos viros et nobis in Christo dilectos, fratres Minores nostre ciuitatis pro ipsorum edificiis parte ex vna et inter nostros predecessores Consules nostre ciuitatis parte ex altera, in hunc modum ad veram concordiam et stabilem amiciciam est redacta, Quod predicti fratres vniuersa et singula, que intra septa et murum ipsorum ad presens continentur, deinceps libere ac pacifice et sine omni inpetitione perpetuis temporibus possidebunt, preterquam quod sepem locatum retro cimiterium eorum et eorum eorum, quem perpetuis temporibus lingneum obseruabunt, ob hanc causam, Quod absit, si Murus noster retro predictos fratres stans corrueret tempore succedenti, ex tunc dicti fratres Minores nominatum sepem eorum intraponere debent versus cimiterium et eorum ipsorum in tantum, vt pretactus Murus noster cum suo fundamento versus dictum cimiterium et eorum etiam intraponi possit, Ita quod inter ipsum Murum et cimiterium reedificandum et reedificatum via satis spatiosa pro vigilibus de nocte ciuitatem nostram custodientibus et aliis transire volentibus communis habeatur. Cameram vero ipsorum seu priuatam inferiorem a terra in tantum eleuabunt, vt vigilibus de nocte ciuitatem nostram custodientes possint commode et sine inpedimento pertransire: pretactam vero cameram tam inferiorem quam superiorem ipsi fratres pro suo commodo reseruabunt. Si vero ipsi fratres eandem cameram seu priuatam in posterum de Nouo construere et edificare decreuerint, Extunc ipsam de consilio edificabunt et construent consulum nostre ciuitatis taliter, ne nostre ciuitati aliquod dampnum vel periculum ex tali structura eueniat aut in posterum possit euenire. Ne autem predicta nostra ordinatio aliqua possit attemptari calumpnia vel specie fraudis infirmari, presentem literam conscribi iussimus et eam sigillo conuentus dictorum fratrum Minorum et sigillo nostre ciuitatis fecimus roborari, Existibus eo tempore: Henrico lusco, Thiderico de Wrizcena, Thydemanno de jeser, Hilowino de Befecow, Nicolao Gifeler, Nicolao Reymeker, Hermannno de Grunenberch, Conrado heseline, Henrico de lucen, Bomgarde, Johanne de vorstenberch, Henrico de Hogenwalde et etiam fratre Henrico existente eadem hora vicegardiano. Datum vrankenuorde, Anno Domini M^o. CCC^o. Duodecimo, In die beate Marie Magdalene.

Nach dem Originale des Stadtarchives VIII, 1, 31.